

ut infra magis dicemus, « cum pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. » l. *Pretia rerum*, 63. ff. *ad Leg. Falcid.* Neque censetur emens donare excessum, eo quod non intendat donare, sed emere; ipseque venditor pretium non ut donatum, sed ut debitum accipiat; nec aliqua sufficiens donationis præsumptio adsit; præsertim cum emptor libenter minoris emeret, si daret venditor, indeque ille cum isto de hujusmodi rerum pretio, dñ tractare ac contendere soleat, teste experientia.

130. *Res vilissimæ communiter magni aestimantur, magno pretio vendi possunt.* — Illud tamen communiter concedunt doctores posse in præfatis mercibus pretium augeri ob expensas factas in iis acquirendis, nutriendis, etc. item si specialem delectationem non uni tantum vel alteri sed communiter afferant, vel etiam licet communiter alicubi sed irrationabiliter magni aestimentur, arg. cit. l. *Pretia rerum*. Ob quam causam Palao, cit. n. 4, post Covarraviam, lib. II. *Variar. resolut.* c. III. n. 4, Salas et alios bene docet licitum esse Europæis res vilissimas v. g. aviculas, cultellos, specula, vitra colorata, jocularis minutias apud nos parum aestimatas magno et plurimum excessivo pretio vendere Indis, et Æthiopicis, eo quod hæ minutie apud hos barbaros communiter plus aestimentur, quam aurum et argentum, iisque etiam communiter magis delectentur, et afficiantur, quam nescio quibus aliis rebus pretiosis, quo fit, quo pretia eorum jam « communiter fungantur, » juxta requisitum l. *Pretia rerum*, 63 ff. *ad Leg. Falcid.*

131. *Pretium juste taxatum, seu legitimum, obligat in utroque foro.* — Quæritur III. An, et qualis sit obligatio servandi pretium legitimum, seu taxatum? Resp. I. Omnis taxatio seu determinatio pretii juste facta obligat non tantum in foro externo, sed etiam interno, ita ut juxta quantitatem excessus vel defectus peccet contra justitiam, et ad restitutionem teneatur tam venditor, si pluris taxato pretio vendat, quam emptor si minoris emat, vel extorqueat. Ita unanimis et certa; uti videre est apud Molinam, disp. 364, n. 2, Navarr., in *Manual.* c. 23, n. 88; Castro Palao, de *Justit. commut.* disp. 5. n. 4; Sanchez, lib. I. conel. c. 7, dub. 4, et seqq.; Lugo, disp. 26, et alios: dicit namque Scriptura *Proverb. XI, 1; Statera dolosa abominatio est apud Dominum: et pondus æquum voluntas*

ejus: ac Levit., XIX, 36. Statera justa, et æqua sint pondera justus modius æquusque sextarius. Ratio est, quia lex a superiore legitimo juste lata obligat etiam in conscientia; prout late probavimus supra lib. I. tit. II. de *Constitutionibus*, § 7. Et in materia justitiæ violatæ restitutionem exigit per vulgaria juris, ergo.

132. *Etiam clericos.* — Resp. II. Pretium juste taxatum observare tenentur non solum laici, sed etiam clerici, ac religiosi; Castro Palao, loc. cit., pun. 5, n. 5; Azorius, tom. I. lib. V, c. XII. quæst. 4; Medina, de *Restit.* q. 36; Gutierrez, pract. 99, q. 180. Ratio est, quia leges civiles justæ, quæ absolute feruntur, et sacris canonibus, aut immunitati ecclesiasticæ non adversantur, etiam clericos obligant, arg. c. 1, et II, de *Novi operis nuntiat.* atque amplius diximus lib. I. tit. II. de *Constitutionibus*, § 14. n. 319 et 320, et in specie de observatione pretii juste taxati in *Theol. moral.* tit. II. dist. 3, n. 15.

133. *Qui transgredientes taxam, puniri possunt a judice ecclesiastico.* — Hinc si leges hujusmodi transgreditur clericus, peccat, et ad restitutionem tenetur, æque ac laicus, potestque in foro externo puniri, non quidem a judice laico: cum « Laicis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa potestas vel jurisdictio, » c. *Ecclesia. S. Maritæ. 10, de Constit.* Sed a judice ecclesiastico coram quo clericus delinquens conveniri debet.

134. *Peregrini quod ad pretium taxatum tenentur.* — Resp. III. Etiam peregrini tenentur ad pretium juste taxatum, nisi specialiter eximantur. Sanchez, lib. III. de *Matrimon.* disp. 18. n. 13; Medina, de *Restitut.* q. 36, § *Dubitaret.* cum communi, et certa aliorum. Ratio est, quia « ratione contractus forum quis sortitur, » c. fin. de *Foro competent.* Pretium autem mercibus statutum, vel maxime pertinet ad contractus; ergo. Accedit quod ratione contractus forum sortiri, et legibus contractus astringi, a pari procedant juxta dicta in *Theologia nostra moral.* tract. II. dist. 3, n. 23.

135. *Pretium injuste taxatum non obligat in foro interno.* — Resp. IV. Si manifeste constat, pretium indebite, irrationabiliter, ac injuste taxatum esse, nemo in foro interno illud observare tenetur. Molina, disp. 364, n. 3; Layman, loc. cit. § 1. n. 3 et 5; Lessius, lib. II, c. XII, n. 14. ad finem; Navarrus, c. XXIII, n. 88, cum communi. Ratio est, quia lex injuste ac irrationabiliter deter-

minans pretium, est injusta; lex autem injusta nullam in foro conscientie obligationem parit, cum careat conditione ad legem necessario requisita, can. 2, dist. 4, vi cujus lex debet esse honesta, et justa.

136. *Hinc absque peccato contrahentes illud transgredi.* — Inferitur cum citatis et aliis doctoribus. I. Quod si principes vel magistratus, aut deputati ab eis ex odio, vel passione, aut muneribus corrupti, vel errore, vel ignorantia seducti, pretium rerum plus minusve justo determinent, possint tam emptores, quam venditores taxam tuta conscientia transgredi. Idem dicendum, si pretium ab initio juste positum, una ex recensitis causis, vel etiam ex negligentia non mutent, mutatis notabiliter circumstantiis, ex quibus mercium aestimatio pendet; his enim mutatis, si lex mutatur, evadit injusta, utpote per quam injuste gravantur subditi.

137. *Vel licita fraude per pondera et mensuras; justam compensationem facere possunt.* — Inferitur II. Posse subditos ad evitandas pœnas transgredientibus taxam statutas, uti licita fraude: v. g. posse piscatorem, pistorem, hospitem, praxatorem, mercatorem, etc. per pondus, ulnam, mensuram, aut alio consimili modo tantum sibi comparare, quantum justo pretio deest: id, quod persæpe in confessionali concedendum est lamentantibus pœnitentibus, et in conscientia attestantibus, certum esse, quod stante taxa vel ipsimet grave damnum pati, vel certe omni honesto lucro, unico ipsorum sustentationis medio carere deberent: taxatoribus rem vel non intelligentibus, aut inconsiderate, vel omnino passionate taxantibus, aut taxam mutantis circumstantiis, non mutantibus; vide Bonacinam, disp. 3, de *Restit.* q. 2, pun. 4, n. 7, item pun. 6, n. 17.

138. *Etiam immiscendo mercibus aliam materiam.* — Inferitur III. Quod venditores, quando alia via justum pretium obtinere nequeunt, mercibus aliam rem, vel eadem specie, minus tamen bonam, v. g. optimo tritico mediocrem, generoso vino vel cerevisiæ debilem, vel etiam aquam, ceræ picem, stanno plumbum (idem dic de aliis materiis) immiscere possint; dummodo in modica quantitate, et ita fiat ut nullum exinde detrimentum emptoribus sequatur, satisque adhuc merx sit idonea ad usum, vel finem, cuius gratia emitur. Layman, loc. cit., § 2. n. 15; Molina, disp. 353, in fine, Lessius c. 21, dub. 11; Bonacina, loc. cit, Lugo, Sylvester

et alii. Ratio ulterior est, tum quia per hoc nulli emptori fit injuria, cum adhuc, uti supponitur, inter mercem et pretium servetur æqualitas, ac justitia commutativa, tum quia uti statim infra dicitur, possunt leves hujusmodi defectus, quibus merx alias affecta est, in venditione abscondi, et tamen pro ea taxatum, aut vulgare pretium justum accipi: ergo etiam eidem immisceri; saltem si alia via damnum ex injusta taxa sibi imminens avertere, et pretium justum obtinere venditor non valet.

139. *In dubio, an pretium sit justum, præsumitur justum.* — Dicitur autem in conclusione n. 135. posita: « Si manifeste constat, » pretium esse injuste taxatum. Nam si dubitatur tantum, an taxatio pretii justa sit, necne, præsumendum de justitia legis, eique etiam in foro interno standum esse, concedunt omnes, ut videre est apud Molinam, disp. 364, n. 5; Bonacina, loc. cit. n. 7. eo quod universaliter in dubio præsumptio stet pro superiore, arg. can. *Quid culpatur.* 4, caus. 29. q. 1, et ibi Glossa *ŷ. Sacrilego.* Ex quo ulterius.

140. *Unde si manifeste non constet, esse injustum illud transgredi non licet.* — Inferitur IV. Illos juxta quantitatem deceptionis peccare, et ad restitutionem teneri; qui stante justa pretii taxatione, vel dubio ejusdem, modis supradictis utentes per pondus, ulnam, mensuram, mixturam, etc. emptores decipiunt; uti constat ex iis, quæ diximus supra n. 131.

§ VI.

DE CAUSIS ET CIRCUMSTANTIIS, OB QUAS PRETIUM AUGERI, VEL MINUI, IPSÆQUE RES CARIUS VENDI, VEL VILIUS EMI POSSUNT.

141. *Causa justa augendi pretium est damnum emergens.* — Quæritur I. Quæ sint causæ vel circumstantiæ, ob quas pretium rei taxatum, vel vulgare augere, eamque carius vendere licet? Resp. Eas plures, potissimum vero sequentes esse. Prima est, damnum emergens; si nempe venditori ex eo, quod rem suam emptori vendat, damnum emergat, non secuturum, si eandem servaret. Unanimis et certa signanter divus Thomas 2. 2, q. 77, a. 1; Navarrus, c. 23, n. 84; Molina, disp. 351, n. 2; Lessius, lib. II, c. 21, dub. 4; Castro Palao de *Justit. commutat.* disp. 5, punc. 12, n. 3, eoque teste omnes.

arg. can. *Precaria*. 4, § 3, can. 10, q. 2, juncta l. *Hoc jure*. 19, § 1, ff. *de Donat.* Ratio est, quia damnum emergens est pretio aestimabile; et æquitas non patitur, ut quis ex contractu damnum in gratiam alterius invitatus patiat; consequenter si cui ex eo, quod in gratiam alterius rem suam vendat, damnum emergat, ejus recompensationem juste prætere potest, augendo juxta proportionem damni, pretium rei venditæ.

142. *Et lucrum cessans.* — II. Causa seu circumstantia est lucrum cessans. Ita citati doctores cum communi aliorum, arg. cit. can. 4, § 3, can. 10, q. 2. « cum ratio, et usus obtinent, neminem, cum non vult, contra utilitatem et rationem cogi, de proprio facere beneficium. » Concordant, c. fin. *de Usur.* l. II. § fin., l. IV, ff. *De eo, quod certo loco* juncta l. XXI, § 3, ff. *de Action. empt.* Ratio est, quia cum talis venditor non tantum mercem, sed etiam lucrum, quod pretio aestimabile est, vendat, pro illo æque, ac pro merce proportionatum potest exigere pretium, ne invitatus beneficium in contractu præstare cogatur contra cit. can. 4.

143. *Dummodo ex venditione, et non aliunde sequantur. Specificatur exemplis.* — Verum ut ob hanc et priorem causam, lucrum nempe cessans, et damnum emergens, rite augeatur pretium, aliquæ requiruntur conditiones. Quarum prima est, ut damnum sequatur, vel lucrum cesset ratione ipsius venditionis, et non aliunde, vel per accidens. Sic v. g. si equum vendo, quo retento proponebam insequentem, jamjam, damnum mihi illaturos prædones declinare, licet mihi pro quantitate damni, pretium equi augere. Non vero si periculum ignarus cum equo alias domi manens a prædonibus deprehensus damnum paterer; eo quod simile damnum non ex venditione equi, sed per accidens emergat. Pariter licite quis pluris vendit triticum, pannum, vinum, vel alias res si prudenter prævidet, quod post aliquod temporis spatium, quousque aliquid vendere non cogitaverat, mercium naturale vel taxatum pretium majus sit futurum: secus vero, si horum nihil prævidens, merces alias vendidisset, textu claro c. fin. *de Usur.* ibi: « Excusatur etiam, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. » Concordat, c. vi. eod. juncta l. XXI, § 3, ff. *de Action. empti.* Idem est, si

res alias vendit, quibus retentis negotiari, vel alias lucrari potuisset.

144. *Lucrum cessans, et damnum emergens deductis prius expensis computari debent.* — Secunda conditio est, ut augmentum pretii non in tantum, quantum damnum emergens, vel lucrum cessans efficit, sed deductis fiat expensis, et laboribus quos, in evitando damno, vel lucro acquirendo venditor facere debuisset. Sic v. g. certa tritici mensura nunc juxta justum pretium vulgare, vel taxatum viginti conflans florenis, non potest vendi triginta florenis ex eo, quod hoc pretium ejusdem mensuræ futurum sit sequenti, ad quem alias servare intenderat, anno; sed debet prius deducere expensas, quas pro purgando et cribando, ne inficiatur, retento tritico, fecisset. Communis et certa. Ratio patet, quia universaliter tam damnum emergens, quam lucrum cessans non nisi deductis expensis computantur.

145. *Debet moneri emptor de augmento pretii ob lucrum cessans vel damnum emergens venditori.* — Tertia conditio est, ut prius moneatur emptor, quod videlicet ex venditione hac venditor damnum emergens, vel lucrum cessans patiat, indeque pluris vendat, quam pretium naturale vel legitimum efficit. Ita Valentia, 2, 2; disp. 5, q. 20, punct. 2; concl. 3, § *Tertia*; Salas, T. *de Empt.* dub. 30, n. 4; Frideric, h. t., n. 317, et communis aliorum. Ratio est, quia alias, deciperetur emptor, qui ignorans rerum pretium, justo pretio secum contrahi putat, indeque emit, non empturus, si sciret, pretium ob venditoris lucrum cessans, vel damnum emergens augeri, eo quod forsitan facile alium inveniret, qui currente justo pretio vendere paratus foret, utpote nullum ex venditione damnum emergens, vel lucrum cessans passurus.

146. *Ob specialem affectionem, quam ad rem habet venditor, eam carius vendere potest, si certæ adsint conditiones.* — III. Causa licite augendi pretium, cariusque vendendi est specialis ad rem affectus venditoris, causans eidem honestam oblectationem, etc.; Molina, disp. 35, n. 3; Lessius, lib. II, c. XXI, n. 25; Navarrus, lib. III, c. II, n. 23; Palao, *de Justit. commut.* disp. 5, punct. 12, n. 3; et communis aliorum. Ratio est, quia cum talis affectus honestam causet mentis distractionem, oblectationem, aut hilaritatem, per quam non raro vires restaurantur, sanitas recuperatur, vel conservatur, omnino æsti-

mabilis est, consequenter in pactum deduci potest: dummodo, quod doctores communiter requirunt, affectus hujusmodi I, non sit levis, vel communis, sed magnus; et II, desuper moneatur emptor ob rationem, num. præc. dictam; ac III, venditor non æque sit affectionatus ad rigorosum, seu summum rei pretium, alias enim affectus affectu compensaretur. Quæ conditiones quia raro concurrunt, raro quoque pluris justo pretio rigoroso merx vendi potest ob venditoris affectum; prout bene observat Molina, disp. 351, n. 3, ubi ad finem ob plurium circumstantiarum periculum consulit, ne facile augeatur pretium propter affectionem. Cæterum augmentum pretii hujusmodi juste facti; vocare solent pretium affectionis.

147. *Ob specialem affectionem emptoris ad mercem, vel utilitatem quam ex ea sperat, rem carius vendere nequit venditor.* — Notandum hic etiam specialiter cum communi doctorum quod allegatæ hactenus tres causæ augendi non procedant, si non in venditore, sed in emptore reperiantur: hoc est, venditor pluris vendere rem ex eo non potest, quod videat emptorem speciali erga illam affectu affici, vel magnum inde reportaturum lucrum, aut necesse habere, ita, ut nisi emat, notabile incurrat detrimentum. Ratio est, cum quia juxta divum Thomam, 2. 2. q. 77. ar. 1. communiter receptum, nemo suam commoditatem emere cogitur: tum quia venditor non potest vendere id, quod non est suum: commoditas autem illa, utilitas, affectus, vel necessitas, quam respectu rei solus habet emptor, non est venditoris; ergo. Ex quo colligitur, injustissimam ac restitutioni obnoxiam esse praxim plurimorum, qui videntes, quod res ipsorum necessariæ, vel admodum utiles sint cuidam tertio, ex hoc solo capite pretium notabiliter augent, mendaciter simulando, quasi vero rem omnino illibenter venderent, vel ex venditione damnum emergens proprium aut lucrum cessans habentur. D. Thomas, loc. cit. Layman, loc. cit. § 1, n. 10; Lessius, c. XXI; Frideric., *de Empt. et vend.* n. 337.

148. *Raritas mercium, et multitudo emptorum auget pretium.* — IV. Causa licite augendi pretium est penuria seu raritas mercium, ac multitudo emptorum. Communissima apud Layman, loc. cit. Castro Palao, *de Justit. commut.* disp. 5, punct. 12, n. 1; Lessius, c. XXI, dub. 4, n. 30. arg. can. *Legimus*. 24. dist. 93. ibi: omne quod rarum

est, plus appetitur, ac pretiosius est. » Ratio est; quia quod rarius est, difficilius haberi potest, quod autem difficilius, minorique in copia invenitur, existentibus multis emptoribus, communiter pluris aestimatur, quæ communis aestimatio pretium justificat, arg. l. *Pretia rerum*. ff. *ad Leg. Falcid.* Hinc fit quod nonnunquam pretia rerum repente notabiliter crescant, superveniente nempe subito multitudine emptorum, quibus abeuntibus eadem pretia illico iterum ad antiquum statum redeunt; prout contingit in adventu exercitus, item tempore comitiarum, etc.

149. *Ob solam dilatatam solutionem, licitum quidem est rem vendere rigoroso pretio.* — Quæritur II. An dilatio solutionis sit sufficiens causa rarius vendendi? Sive an ex eo, quod quis credito vendat, pretium licite augere possit? Ante responsionem, ut certum supponendum est, ex eo, quod emptor non statim solvat, licitum esse venditori merces vendere pretio justo summo rigoroso, quas alias solet infimo vel medio vendere, ita enim teste Azorio, lib. VIII, c. VIII, § *In primis constat*. sentiunt omnes theologi et Jurisperiti, juxta dicta supra n. 149. Unde tantum difficultas est de augmento limites justii pretii excedente. Ad quam

150. *Sed non excedente limites justii pretii.* — Resp. I. Illicitum est rem pluris justo vendere, ex hac sola causa, quod emptor non statim vendat, seu quod solutio differatur, et venditio credito fiat. Ita unanimis omnium doctorum teste Azorio, loc. cit. § *Vis agitur*: textu claro c. *Consuluit*. 10. *de Usuris*, ubi ad interrogationem, « an negotiator consimili pœnæ (Usuræ) debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei in continenti pretium persolvatur? » Respondetur, « hujusmodi homines judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi. » Et merito, quia si quis rem decem florenis constantem vendit quindecim ex hoc solo, quia decem floreni non statim solvuntur, idem facit, ac si decem florenos mutuos daret, ut post aliquod tempus quindecim accipiat, uti consideranti patet: atqui posterius continet usuram; ergo et prius. Dicitur autem notanter, « ex hoc sola causa. » Nam

151. *Non adsit periculum perdendi vel ex toto, vel ex parte pretium.* — Resp. II. Si ob

dilatam solutionem venditor prudenter timet periculum ipsius pretii justii vel ex toto, vel ex parte perdendi, potest juxta arbitrium viri prudentis rem pluris vendere juxta proportionem periculi. Medina, *de Restit.* q. 38. cas. 3, et 4; Lessius, c. XXI, dub. 6, n. 54; Castro Palao, *de Justit. commut.* disp. 5, punct. 12, n. 6; Molina, disp. 356; Valentia, Sa, cum communi et probabiliori aliorum, quibus etiam favet divus Thomas, 2. 2, q. 77. a. ad. 2, contra plures gravissimos doctores ut Lopez, Bannez, Conrad. Rebell. et alios. Probatum conclusio efficaciter ex c. *In civitate. 6. de Usur.* ubi postquam pontifex reos peccati pronuntiavit illos, qui ob dilatam solutionem pretium augent, excipiendo subjungit: « Nisi dubium sit, merces illas, plus tempore, quo pretium debent recipere, valituras. » Ex quo sic formatur argumentum: vi hujus capituli licitum est creditorem pluris vendere ex eo præcise, quia venditor subit periculum perdendi lucrum, seu pretii incrementum, quod juste accipere sperat, si rem suam ad tempus aliquod servaret; alia enim causa augendi pretium ibi non adest, ut consideranti patet: ergo a fortiori licitum erit venditori, rem carius vendere, si vendendo subsit periculum, non tantum pretii incrementum, sed et ipsum pretium ex toto, vel saltem notabili ex parte perdendi, prout res se habet in conclusione.

152. *Periculum damni subire, est pretio aestimabile.* — Ratio autem conclusionis quamvis multiplex a doctoribus afferatur, potissima tamen hæc est: quia exponere se periculo gravis damni, est omnium iudicio pretio aestimabile, arg. l. V. ff. *de Nautico fem.* ibi: « Periculi pretium est: » ergo pro eo aliquid exigi potest; consequenter si venditor ob dictam solutionem revera se exponit periculo gravis damni, perdendi nempe pretium ex toto, vel ex parte, licite poterit ratione hujus aliquid exigere.

153. *Probatum efficaciter.* — Confirmatur eadem ratio. Vendere rem credito, absque periculo perdendi pretii, et eam vendere cum periculo, multum discrepant; quia in hoc, non item in illo venditor odiosa molestatur cura, sollicitudine, ac timore, et labore, ne pretium perdat; ergo si potest in priori venditione totum justum pretium etiam rigorosum petere, poterit in posteriori ob annexam novam circumstantiam vel causam pretio aestimabilem aliquid ultra petere, cum venditor non teneatur in gratiam emptoris

absque ullo emolumento tantam subire molestiam. Ob quam causam ipsimet adversarii fatentur, posse nomina seu chirographa minus emi, si in eis, licet cæteris liquidis, obtinendis periculum sit; juxta dicta supra n. 61.

154. *Fidejussor ratione periculi aliquid accipere potest.* — Confirmatur ulterius, quando in casu periculosæ solutionis ab emptore constituitur fidejussor ad hoc, ut solvat venditorem, casu pro ipse debitor principalis solvere vel nollet, vel non posset, licitum est tali fidejussori, ratione solius periculi, quod subit, aliquid prætere et accipere, juxta communem doctorum etiam ipsorum adversariorum, ut videre est apud Molinam, disp. 319, n. 1; Navarrum alias conclusioni summum adversariorum in *Manual.* c. XVII. n. 185; Covarruviam, part. III. *Variar. resolut.* cap. II, n. 6, arg. l. *Hoc jure.* § 1. ff. *de Donat.* ergo ratione ejusdem periculi etiam ipse venditor aliquid prætere et accipere potest, cogitando vel dicendo; vendam credito absque fidejussore, ut id, quod hic ratione periculi caperet, ego accipere valeam: cum non sit major ratio de uno, quam de altero.

155. *Ob periculum damni licet augere premium, etsi dein damnum non sequatur.* — Notandum tamen cum communi doctorum ad hoc, ut venditor ratione periculi aliquid ultra rigorosum pretium licite petere possit, periculum deberet esse verum et non fictum, nec ex vana apprehensione, aut persuasione alicujus meticulosi, aut avari ubique periculum timentis, et nulli fidentis conceptum. Quamvis non requiratur, ut damnum postea reipsa eveniat, eo quod non tantum propter ipsum damnum revera futurum, sed etiam propter verum ejusdem periculum, et consequenter inde molestias augmentum pretii licite fieri possit; etsi dein per accidens damnum non sequatur, arg. cit. c. *In civitate. 6. de Usuris,* vi cujus ob solum dubium, seu periculum perdendi lucrum, carius vendere licet, etiamsi postea effectus dubii vel periculi non sequatur.

156. *Ob periculum solutionis carius vendent; monere debet emptorem, si absque offensa, et suo damno potest.* — Volunt insuper doctores ut Lessius, loc. cit. n. 55; Molina, disp. 356. et alii, debere emptorem a venditore moneri, quod ratione periculi rem carius vendat. Verum hoc recte limitat Gibalin. in casu, quo hæc monitio fieri nequit absque of-

fensa emptoris; prout ordinarie fit in minoribus et quotidianis commerciis et emptionibus apud mercatores. Et certe, quis vellet obligare mercatores, ut, dum ob verum periculum, pretium juste augent, semper moneant emptorem, eique dicant v. g. rem hanc credito tibi vendo, sed pluris ideo, quia periculum est, an sis solvendo, vel an non interea tua dilapides, vel an sis solviturus, etc., plane enim hac monitione plerumque vel graviter offenderet emptores, vel etiam ipsum periculum augeret, emptoribus id pro accepto habentibus. Aliud est de venditionibus majoris momenti, v. g. agrorum, prædiorum, etc. ubi sine offensa emptoris facile fidejussorem petere potest hoc ipso, quod in hujusmodi venditionibus, si credito fiant, ad evitanda communia pericula ordinarie fidejussor, vel pignus peti, darique solet: quod non si petat, causam indicare sane debet, cur rem suam pluris vendat, ob rationem n. 145. datam.

157. *Objectio adversariorum ex c. Naviganti, de Usur., proponitur, et solvitur.* — Objectio adversariorum contra conclusionem nostram est textus c. *Naviganti,* ult. *de Usur.* ubi aperte reprobata videtur doctrina nostra his verbis: « Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus minusve tempore solutionis sint valituræ, veri similiter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. » Ob hunc textum Lopez nostram conclusionem periculosam censet in fide, sed immerito. Nam respondetur cum Gonzalez, in cit. c. *Naviganti, de Usur.* n. 8; Navarro, in *Manual.* c. XVII. n. 8. § 4; Sylvestro, Cajetano, et communi aliorum, priorem partem textus intelligendam esse de casu, quo quis ad palliandam usuram dat mutuas pecunias, earumque periculum, quod alias ad mutuatarium, tanquam dominium pertinet, in se suscipi, hoc fine, ut possit aliquid supra sortem accipere, qui modus ab usura minime excusatur, ut post Alexandrum, lib. IV, concil. 121; Albericum, in l. *Jubemus.* c. *de Sacrosanct. Eccles.*, Decium et alios bene docet Gonzalez, in cit. c. *Naviganti.* n. 8. Non item in casu, quo quis juxta naturam contractus, periculum pecuniæ mutuatae, vel rei ven-

ditæ relinquens mutuatariorum, vel emptori, aliquid prætere ob periculum non obtinendæ solutionis.

158. *Alia solutio.* — Vel dic cum Laymano, lib. III. tract. IV, c. XVI. n. 13, Palao, *de Justit. commut.* disp. 4. punct. 18; Fachin. lib. II. *Controv.* c. XLVIII, Gibalin, lib. II, c. IV, a. 3; Barnatio, Narbona, et aliis, in præfata priori parte textus, errore transcribentium omissam esse particulam non, adeoque pro « usurarius est censendus, » legendum esse, « usurarius non est censendus: » quæ interpretatio, quamvis omnes codices erroris arguat, cum nullibi particula non reperiatur, tamen fundamentum non caret: tum quia sic facile concordatur c. *Naviganti,* cum c. *In civitate. de Usur.*; tum quia idem ex sequenti parte textus aperte colligitur, dum statim subjungitur; « ille quoque, etc. non debet usurarius reputari. » Siquidem dictio quoque est implicativa prioris casus, arg. l. III. § *In amittenda.* ff. *de Acquir. poss.* et l. *Qui legatorum.* § *Filium quoque.* ff. *Pro hærede,* tum quia verisimile non est, quod Pontifex tam inconvenientem fecerit constructionem, duobus casibus, an usuram contineant, propositis, ita respondendo. « Primus casus usuram continet: secundus quoque non continet usuram; » ly quoque enim omnino requirit, ut vel in primo particula non addatur, vel etiam in secundo dematur; ita ut utraque vel affirmativa sit, vel negativa, alias enim, ut consideranti patet, regularis non habetur constructio. Sunt adhuc aliæ responsiones doctorum ad dictum textum, quas videre licet apud Gonzalez, in cit. c. *Naviganti.*

159. *Si in obtinenda solutione prævidentur difficultates, labores, ac molestiæ, juste augetur pretium.* — Resp. III. Si quis credito rem vendens, prudenter prævidet, quod solutionem quidem sit obtenturus, sed non nisi cum magna difficultate, molestia, labore, etc. potest ultra rigorosum pretium, aliquid juxta arbitrium prudentis viri accipere. Ita doctores pro priori conclusione n. 151. citati. Imo teste Castro Palao, loc. cit. n. 6, doctores fere omnes. Et ratio est, quia propter alium molestias devorare, labore, et difficultate fatigari, est omnium iudicio, pretio aestimabile: ergo ob hanc causam aliquid exigi juste potest, arg. l. *Si in emptione.* 34. ff. *de Contrah. empt.* Id quod in mercatoribus contingere non raro videmus, qui dum pro debita mercede venditarum credito mercium,